

Yc
91



Q. 11



Q. N. 1265.

Yc
91

OCIUM SIRIACUM,

Hoc est,

ORATIO ENCO- MIASTICA,

differens

De Jenâ, urbe plurimis Eruditissimis
Viris, ceu nitidis Jaspidibus, Smaragdis & Chry-
solithis abundantissimâ, in Duringiaco
territorio sitâ:

exasciata ac edolata

eâ temporis qualitate, quâ, (ut Poëta modulatur)

— calido latravit Sirius æstro.

RECITATA

Publicè memoriterq; in Auditorio Majori,

Die 1. Augusti

A

JOANNE FRIDERICO SALTZ-
MANNO SHLAIC. VARISC.

ANNO 1619.

*Cui me presentem laudare, at carpere mens est
Absentem, hunc Carbo pestilitatis edat!*

JENÆ

PRELO BEITHMANNIANO.





ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS

Dynastis, Dominis meis per clementibus,

Dn. HEINRICO JUNIORI AC
SENIORI RUTHENO, Lib. Baroni à Plawen/
Dn. in Graitz/ Crannichfeldt/ Geraw/ Schlaiz & Lobenstein/
Rom. Cæs. Majest. à Consiliis.

Dn. CHRISTIANO Schencken/
Lib. Baron. in Lautenburge/ Frauenprißnitz
& Niedern Trebra.

Dn. GOTTOFREDO L. B. ab Eulen-
burge/ Domino in Salingen & Tingen.

Dn. OTTONI-ALBERTO, Dn. VITO,
Dn. HEINRICO-CHRISTIANO, Fratribus
Germanis, Dn. à Schönburge/ Dn. in Glauchaw/
Waltenburge & Hartenstein.

Viro Nobilissimo æque ac Strenuissimo,

Dn. HEINRICO à BOSE, Illustri
ac Generoso Domino, Dn. HEINRICO Juniori
ac Seniori Rutheno à Plawen & c. à Consiliis,
Mecœnati meo animitus diligendo.

Viris

Amplissimis, nec non Prudentissimis,
Reipubl. SALANÆ CONSULIBUS, SENATORI-
BUS, ET JUDICIBUS, meis Fautoribus omni
observantiæ cultu cohonestandis.

*Hoc doni in humilimæ subjectionis, & debiti
honoris tesseram*

offero

Johannes Fridericus Saltzmannus.



EPISTOLA NUN- CUPATORIA.



Vamvis semper, Illustres & Generosi Barones, Domini mei clementissimi, Nobilissime Domine Heinrice, Amplissimi & Prudentissimi viri, Consules, Senatores, ac Judices meritissimi, quamvis, inquam, ὀφθαλμοφανερῶς exploratum habuerim, oratoriam facultatem eminentiâ suâ alias artes longinquo multorum stadiorum intervallo prævenire, me verò ità humi repere, ut cerebri Dædalo ad ejus sublimitatem difficili negotio subvolare queam. Attamen nullo desiderii incendio hactenus magis æstuavi, quàm ut huic studio ἀθανασία dignissimo insistere, ejusq; pulchritudinem percipere, & dulcedinem, quæ factō rivo inde pro manat, primorum saltem labiorum extremitatibus delambere possem. Minus enim incomptè, nec incompositè Romanorum vatum Phœnicis metra ad oratoriae laudationem veniunt adhibenda, quæ sic pronunciantur:

A 2- magno



EPISTOLA

— magno in populo cum sæpè coorta est
 Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
 Jamq; faces & saxa volant, furor arma mini-
 strat,

Illam regit dictis animos & pectora mulcet.

Ut igitur evidenter liqueret, me tacito velut
amoris philtro, vel potius hamo inescatum &
allectatum fuisse ad Venerillas Oratorias: Ec-
 ce! Oratiunculam de elogio *Jenæ* non jacta-
 tionis [ut quidam Scioli & Zoili falsò opinan-
 tes, nominis mei incolumitatem evaginato q.
linguæ dolone suggillant] sed exercitationis
 causâ conscripsi, conscribtam typis excudi cu-
 ravi. Mihi a. vim mentis consiliariam con-
 vocanti, & cui hasce *ἀπαρχὰς* nuncuparem,
 diu deliberanti occurrerunt G. G. G. G. G. G.
 N. & Cl. Varum nomina. Et quidem meritò:
 Sciens enim, beneficium à G. tuâ, Illustris &
 Generose Dynasta, ante biennium in Gymna-
 sio Elystræo mihi fuisse suppeditatum: non
 potui facere, quin, patefacto pectoris igniario
modicas aliqualis gratitudinis scintillas evo-
carem fuscitabulo recordationis. Deinde, Il-
 lustres & Generosi Barones, G. G. G. G. G. G.
 Vris meum ocium impertivi, quia non modò
 in



in urbe *hac* studiorum gratiâ jam versamini,
 sed & materiis aliquam jucunditatis speciem
 præ se ferentibus delectamini. N. Tuæ, Stre-
 nuissime Domine Heinrice, fulgida Aonii
templi hyacinthe, orationem meam consecra-
 vi, ne spontaneo ausu *ἀχαριστίας* obeliscum in-
 currerem: Recenti siquidem memoriâ teneo,
 N. tuam me non tantum in suam Philothecam
 sive album recepisse, verum quoque benivo-
lentiæ q. lacertis circumdatum compræhen-
 disse, & adhuc [ut spero] compræhendere.
 Denique V. Clbus, Amplissimi & Prudentissi-
 mi Viri, hoc exercitium dedicavi, quia in ur-
 be hac, cujus laudandæ provinciam ingenii
 humeris subivi, Reipubl. clavum non sine lau-
 de geritis.

Quapropter, quoniam, prout oculus pu-
 pillâ, senex Scipione, navis ancorâ indiget: ita
 ego bonorum & existimatione pollentium lo-
 ricâ: G. G. G. G. G. N. & Cl. Vras, ut tenui
 huic scriptioni tanquam faces præluceant, &
 prætentis autoritatis suæ peltis, me contrâ fa-
mæ Lavernionum satyrico apsinthio consper-
forum insultûs, aliorumq; calumniantium sca-
rabæorum, [pro quibus nec Afranius nauci,

A 3

nec

EPIST. NUNCUPATORIA.

nec decima Musa suum textivilitium, neque
Nævius buttubatta offerret] bombilationes
gnaviter defendant, eâ, quâ par est, animi de-
missionerogatas & oratas velim. Vicissim, si,
meam in dicendo balbutiem G.G.G.G.G.G.
N. & Cl. Vris ad salivam ac palatum fecisse
cognovero,

Noster Atlantiades paulò graviora loquetur.

Valete, & hoc levidense munusculum erugatâ
fronte suscipite. Si infrâ G. G. G. G. G. N. &
& Cl. Vrarum fastigia esse judicabitis, cogite-
tis quæso, gentes olim lacte & molâ falsâ Diis
litasse, dum

—caruerunt thuris acerrâ.

Valete iterum.



ORA-

A



682
O R A T I O
D E L A U D I B U S
J E N Æ.



*I, Magnifice Domine Rector,
Magnifice Domine designate Pro Re-
ctor, Illustres ac Generosi Barones, admo-
dum Reverendi, Consultissimi, Experien-
tissimi, Excellentissimi Viri, Vosq; Nobi-
lissimi & Eruditissimi Juvenes, Corcula
divini oraculi oculissima, pectora Themidos & Pallados
osculatissima, si inquam, simplicis farina, rejiculiq; fur-
faris res, imò Siculis gerris vaniores, atq; inaniore non-
nunquam deprædicantur, decantantur, ac*

*Marmoreo laudis vèctantur ad astra veredo:
Dum aliqui, publicis cathedrarum subselliis occupatis, de
pulice, animalculi puncto, sive compendio, nec non de susur-
rantis muscæ laudatione proluxæ dissertationis ferram du-
cunt, Luciani vestigia prementes; aut in intellectus imbe-
cillitate, moriâ nimirum encomii tubicine efferendâ, toti
cum summâ curâ atq; industriâ, cum omnibus q. intestinis
detinentur, strenuo, & indefesso pede sectantes orbitam,
Erasmi, Viri aliàs ob edocumata doctrina laurum & au-
rum incomparabilis: Vel deindè alii, nescio quo fati, aut
astri instinctu erga Favorinum in Philosophicâ curiâ præ-
gnanter*

O R A T I O D E

gnanter quidem florentem, propendentes, cum eo, è linguâ, sermonis promâ & condâ, tanquam altero Amaltheæ cornu, abundantia depromunt elogia, deprompta quartana attribuunt febrî: bili & pili æstimato isto disticho, quod quidam studiosi ordinis, qui tyrannico hujus morbi prelo pressus, penitissimâ viscera candentis forcipis morsu sibi vellicari jurabat, & putabat, ingeminabat, dicens:

Torret in Aetnæo me febris anhela camino

Exercens quarto querquera flagra die.

Vel deniq; , ut reliqua ridiculorum, & leviculorum thematum genera silentii conopæo involvam; alii cum Cardano podagram magnificis laudum phaleris & ampullis calotenus evehunt, contemptui habentes illa metra, à Peristerandro, Franco Olore benè canendi scientissimo, (cujus nomen in Fame sacello immortalitatis eburno incisum reperire est) in hujusmodi efformata faciem:

Quando podagra meos vocat & Chiragra dolores,

Binus adest semper pes mihi, bina manus.

Quum vocor ad cursûs, & alendam ventris orexin

Nullus adest semper pes mihi, nulla manus.

Ego autem ab horum tramitibus planissimè, & plenissimè exorbitaturus, ut argumentum oratorio tubo, sive canali ductum, in cordium vestrorum hortulos jucunditatis rorem, & fluorem grato strepitu devehat, studium navabo καδδύαμν sedulissimum.

Ideoq; quin quisq;

— Cui dextra benigna Promethei

Ingenium finxit de meliore luto.

meum institutum, & consilium, quod jam è cerebri ergastulo

stulo inimum sinus recessum vobis demittam, cretâ sit no-
taturus, nullo dubietatis ariete animus mihi percutitur.
Quæ enim præconiorum debuccinationes plus sacchari, mel-
lis & gratia affricare valent politulis & limatulis auribus,
quàm quæ de pulcherrimo Musarum domicilio, amenissi-
mo eruditæ mercis emporio, politissimog, Charitum Athenæo
 (Jenam subintelligite) suscipiuntur. Si verò forsân
 aliquis in hac laudabili & spectabili coronâ (quod è specula
 q. per nebulam, transfennam, & ventum textilem prospice-
 cere videor) reperitur, qui arbitretur, me ex tam puro pu-
 to Phaëthontæ arrogantia ære conflatum esse, ut sufficien-
 tia dilaudationis tela è tenuissimâ eloquentiæ meæ pha-
 retrâ desumi, desumpta in hanc urbem pro dignitate di-
 rigi posse considerem: Isti ipsissimo medius fidius nulla pa-
 tescit rimula elabendi illatarum injuriarum crimen. Si-
 quidem à recto causæ, cujus impulsu in splendidum hoc pro-
 scenium prorupi, enormiter aberrat scopo, sed, quoniam
 apertâ memoriæ capsulâ inclusum inveni versiculum quem-
 piam à Mantuanâ Seirene sic detornatum:

Et benè apud memores veteris stat gratia facti.

Indidem, ne optimo jure in frontis meæ pariete majuscu-
 lis ascriberetur literis istud proverbii: Ingratus cuculus
 es: Laudem Jenæ, Academiæ inclutæ, quæ me hætenus
 instar Archimagiri ambrosiis linguarum, & artium enu-
 trivit eduliis, rhetorici styli purpurisso pro virium facul-
 tate illustrare mecum constitui.

Intereâ, sepositis ulterioribus verborum anfractibus,
 Magnifice Domine Rector, Magnifice Domine Designate
 Pro-Rector, Illustres & Generosi Barones, admodum Re-
 verendi,

B

O R A T I O D E

verendi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi Viri,
vosq; Nobilissimi & Eruditissimi Juvenes, vos singulos, ut
amicabilia & delectabilia attentarum benivolarumq; men-
tium carbasa ad mei conatus aures explicetis, summoperè
rogatos velim. Vicissim mea officia, qualia qualia, quoli-
bet temporis punctistitio postulaturò, vobis pronissimè, &
promptissimè declarabo, nec fibulam labris nimum la-
xabo.

Mos equidem, Auditores lectissimi, omniumq; or-
 dinum eminentissimi, est frequentatus, ut solertia Mercurii
 in avaritia, suscepta alicujus urbis laudatione, in orationum
 suarum frontispiciis mentionem conditoris injiciant: Cujus
 laus, si supra omnem invidiæ aleam & alam constituta fue-
 rit, sanè non modica fulgoris, splendoris, & decoris fit ac-
 cessio, agglomeratioq;. Prout autem Sebastianus Münste-
 rus in opere suo Cosmographico sæpiusculè de veterum Ger-
 manorum in rebus gestis perennitatis cedro insculpendis in-
 curiâ, socordiâ, & supinâ negligentia queribundo differit
 animo. Hinc n. accidit, ut non modò rara & præclara homi-
 num in Europa angulis viventium gesta plusquam Cimme-
 riis obnubilentur tenebris, verùm etiam plerarumq; ur-
 bium origines certæ, & indubitata silentii ruderibus se-
 peliantur. Ita & nos idem de Jenâ nostrâ conqueri neces-
 se habemus, cùm ortus ejus è nullis prorsus historiarum
monumentis rectè & perfectè percipi erui de queat. Ideoq;
ne in aëreis cœli tractibus videar piscaturus, nimis scrupu-
losâ indagatione supersedebo. Nequeo tamen mihi persua-
 dere, quin ob aspectum collocem Matthæum Dresserum,
non circumforaneæ, proletariæ aut superficiariæ, sed recon-
ditæ.

684

LAUDIBUS JENAE.

ditæ, intercutaneæ & examuffitatæ eruditionis virum de
Jenâ in hæc verba erumpentem:

JENAE ad Salam fluvium in Duringia oppidum,
non admodum celebre, antequam ex Musarum commercio
nobilitari cœpit. Nomen, ut videtur, habet à vino, quod
Hebrais est Jain, quod disticho hoc exprimitur:

Hinc placet Hebræo nobis hoc nomine dici:

Et vetus à Jain nomen Jena tenet.

Quæ Etymologia, si in cribro examinis vertiginata & pro-
bata, vera deprehenditur, non ab aliis, quàm à Judæis no-
men adepta est, qui post eversam politiam Judaicam dis-
persi sunt in omnes angulos terrarum orbis, & in hæc etiam
loca se illatebrarunt. Sedes fortunarum suarum passim
fixerunt, Synagogas condiderunt, & vini usum cultumq;
largiorem importârunt. Consentaneum igitur est, ad Sa-
lam eos consedisse & ex vini proventu victum quæsisse.
Quod in vicinum oppidum Vinariam attulerunt, ex cujus
venditione illud nomen invenit. Monasterium prædicato-
rii ordinis à Dominis de Leuchtenburgæ fundatum est,
Anno 1286. auctum verò, ornatum & locupletatum à piis
multis mulieribus & viris. Contulit partem quoq; bonam
Albertus Duringiæ Landgravius, & Saxonie Palatinus.
Confirmavit verò tandem Fridericus Landgravius Durin-
giæ & Marchio Misniæ. Hæc in medium protulisse sufficiat
de conditoris incertitudine: Nunc citatis velis equisq; sum-
anbelaturus & adhinniturus ad contemplationem situs, qui,
uti Nilus à cane transeunter saltem, à me paucissimis &
parcissimis delibabitur verbis. Rivum autem laudis exinde
denso gurgite ebullire & scaturire beneficio oculorum Chry-

O R A T I O D E

stallino vitropellucidius deprehendetis. Si paucillisper de-
 fixo haeremus obtutu in considerandis montium, quibus haec
 urbs undiq; circumvallata cernitur, superciliis, laetis &
 lautis voluptatum ac suavitatum pascimur epulis. Quanto
 enim quamq; admirando lacitiae pruritu titillari putandi
 sunt isti, qui montibus ascensu superatis & devoratis, è spe-
 culâ in loca remotissima visus acumine penetrant? Quan-
 to inquam, quamq; incredibili exhilarationis sensu affici exi-
 stimemus illos, qui se Clarissimis & Excellentissimis Medici-
 nae Professoribus comites adjungunt, & illorum adminiculo
 herbarum in montibus his, praesertim monte secundum ver-
 naculum idiotismum Kunikerbergk nominato largiter pro-
 pullantum nomina, earumq; proprietates, qualitates & po-
 testates internoscere addiscunt? Jenam itaq; plurimis præ-
 coniorum q. myrmecis pertegendam esse, Reverend. Dn.
 D. Menzerus, diæ militiæ tuba, lapillum suum adjecit, hoc
 eleganti luso & fuso disticho.

Montibus excelsis urbs est circundata JENA,

Montibus excelsis celsior ipsa tamen.

Prætereà in chartaceo salo navigaturi, oratoriam cymbam
calami vocisq; remo propulsuri, juxtâ & urbium laudatio-
 nes instituturi, celebrandi ansam petunt ex edificiorum
 ornatè, ad amussim, affabreq; constructorum enumeratione.
 Sed vereor, ne laudum ostio, dum in exiguissimam domorum
 Jenensium incido mentionem, repagulum quoddam sit ob-
 jectum. Siquidem illas non redolere insolentiam Hispani-
 cam, nec magnificentiam spirare Italicam, sed esse humiles,
 ligneas, luto, calce, & gypso obductas, tegulis, sive lateribus
 coctis tectas, vetustate verò structurae coruscas, in propatulo
 est.

est. Attamen, si oculorum volumina intentius paulò cir-
cumagemus, se conspiciendum præbebit Collegium concinnè
extructum, & quatuor insignibus distinctum acroamati-
bus, quod non aliter ac jaspis sive hyacinthus annulo aureo,
universo oppidi circulo singularè infert resplendescentiam;
 Minimè etiam silentii supparo implicandus occurrit aliquis
 locus eidem Collegio contiguus; ille autem Bibliotheca con-
 secratus, sumptuosissimâ vetustissimorum librorum copiâ sic
 est instructus, ut exoticas Academias quâ præminentiam
 in numeris parasangis prævertat. Caterùm in eodem Colle-
 gio Illustrissimorum Principum munificentia erectum est
 Convictorium, ubi tam tolerabili precio Palladia sustenta-
tur cohors, ut propinqua Universitates Jenæ palmam ex-
cellentia merito porrigant. Alibi enim

— cyathos gens libat alumna
 Commistos nimio vino, quod stridula gansæ
 Secula degustant, ferratis cantica rostris
 Fingendo.

Hic verò Studiosi, quibus hujus beneficii fruitio concessa,
 Evacuant Cereris carchesia plena liquore.

Licet quoque in pellustratione reliquorum ædificiorum vile
 & exile laudis spicilegium se mihi offerat; nihilominus in
 promptu, & procinctu regium ac egregium illud Thucidydis
 dictærum versatur, quod ita effertur: Non à domorum
 decore, sed morum dulcore urbes veniunt æstimandæ.
 Spartam olim in summo precio habitam, nec ullis murorum
 propugnaculis cinctam fuisse, ex codicibus historicis, mutis
 istis Doctoribus verissimè intelleximus.

Agésilæus enim à quodam interrogatus, cur sparta
 mænibus

ORATIO DE

*mœnibus non obsepiretur? Cives à multijugâ armamenta-
rii strue divites esse, nec unquam è pectoribus, quæ mera
iræ sunt vaporaria, dissensionis fumum more Caci Virgiliani
eructasse, respondit, inquit: Hi sunt firmissima urbis mœ-
nia, quæ à violentis quarumcung, catapultarum insultibus
infringi fugiunt: Quibus pauculis, ponderosis tamen ver-
bis haud dubiè innuere annexus est, eam civitatem munitis-
simam posse appellitari, cujus inquilini heroâ quadam ani-
morum magnitudine, & caacervatâ armorum multitudine
essent præditi. Quamobrem, quoniam Sparta nullis muro-
rum sepibus munita datum est*

— volitare per ora virorum.

*Neminem tam perfictæ frontis, & perfractæ mentis ex-
tare arbitror, qui manibus pedibusq, in meam descendere
sententiam, & cum Sparta Jenam) quamvis tam altis tam
validis turribus, & mœnibus non sit vallata) ambabus buc-
cis celebrare recusaret.*

*O mihi si linguæ centum essent, oraque centum!
O utinam meum os dulci flumine irrigaret Romani Eloquii
Aquila Tullius! labra nectaris mulso humectaret Pericles!
Eloquentiæ calmistra inureret Demosthenes! facundiæ mero
inundarent Gratiæ! Quid ego, vix ex adolescentiæ inter-
nodio eductus, de Academia loquar? illum ludum litera-
rium, & trivialem taciturnitatis scaphâ sciens volensq,
præternavigabo, quæ, si laudationum argumentis omnimo-
dè destituerer, vel sola encomii materiam mihi referto,
quod dicitur, quasi illo subministraret. Nobis autem ortus
telam retexturis supra nominatus Dresserus obviam proce-
dit taliter scribens: Jena Academiam habet liberalibus,
& do-*

Et doctis hominibus affluentem ab anno Christi 1555. quo
 introducta est solemnitate magna & privilegia Casarea pu-
 blicata die 25. Januarii munificentia & liberalitate Ducum
 Saxoniae Johannis Friderici, & Johannis Guilhelmi fra-
 trum, Ducis Electoris Saxoniae, Johannis Friderici filio-
 rum. Me itaque ad veritatis & rectitudinis metam, dum
 in Jenae laudes provehor, quam proximè collimare, testi-
 monii vice adducam populos cum propinqua vicinia, tum
 in extremis Germaniae terminis habitantes, qui Academiam
hanc tanti pendunt, ut etiam filios suos perspectae pietatis,
probatæ fidei viris commissos, huc loci ad solidæ eruditionis
supellectilem indispensandam turmatim tramittant. Vide-
 mini, Auditores mirificè honorandi, videmini inquam, nisi
 errat rationis calculus, tacitè à me efflagitare, ut in dinu-
 merandis hujus urbis templis diligentia nervos intendam;
 Atqui numerus eorum est valdè mediocris, ternarius vide-
 licet: Vnum in urbis propemodum medio situm, sonoriferis
 solùm æra mentis instructum est. Et huic celsissima turris,
 quæ horologium αὐτόματον contuentibus monstrat, super-
 extructa spectatur. Alterum vocatur Collegiale templum,
 sed à campanis nudum, in quo vel diebus festis quidam
 Theologiae Doctorum, vel privis diebus solis quidam Stu-
 diosorum è sacris rostris verba ad circumstantes, & cir-
cumsedentes faciunt. Tertium extra portam Johannis
 situm est, ubi videndum exhibetur πολυάνδρον, & σκελε-
 τοφυλάκειον. Vtrum autem fas sit oppidum quoddam ob
 innumerum templorum numerum celebrare, in dubitationis
Oceano meus nutritat, & natitat animus: cum urbs, in qua
 longa templorum series, at

pietas.

ORATIO DE

— pietas penè intermorta res est,
*non digna censeatur, cui laudum pulsentur crembala, tym-
pana, tintinnabula. E contrario Ecclesiasticæ ades, nec su-
prà, nec infrà ternionem existentes, modò in illis precio-
sissima Eusebies arbor plantata, profundas egerit radices,
eximiam demùm merentur laudem. Experimur, & cum
exulceratione ac lancinatione experimur in extremâ hujus
mundi senectâ, & canâ penè pietatis hyeme, tot à Jesuiti-
cis phocis (de quibus author incertus hoc anagramma con-
cinnavit :*

Jesuitæ Fratres

ἀναγεγραμ.

Estis reverâ fatui.

Vos vel Esavo. aut suibus sit origo: Suitæ,
(Estis reverâ judice me fatui.)

Tot à Calvinianis istis κατὰ γὰρ αἰῶνι, & ἐν ψήμασι & veris gan-
granis angve caneq; pejus devitandis, possideri templa, eo-
rumq; impietati, nec non idololatriæ consecrari.

Hinc nullus,

— cui sanæ semiuncia mentis,

Urbes nequaquam à variorum templorum structurâ, sed
potius salutarî pietatis culturâ extollendas esse, sine puden-
do ac nefando more modoq; inficias ire valebit. Ex quo ve-
rò facundiæ puteo satis verborum hauriam? In quem Elo-
quentiæ hymettum instar apiculæ evolem, ut lautitiæ & ele-
gantia flosculos exsugam, ad urbem hanc sufficienter laudi-
bus condecorandam? Neminem profectò in admirationem
rapere deberet, si linguâ purpureo rubore supplantatâ, voce
pudore

pudore enecatâ & enecatâ, cathedram post terga relinque-
rem meq; in fugam conjicerem: Latissima enim, dum pau-
 xillulam incolarum meditor laudem, dicendi se aperit plani-
 cies. Si illos sub considerationis lancem revoco: sunt viri ut
 plurimum agrorum & vinearum cultui opificiisq; manuariis
 addicti, humanitatis, temperantiae & humilitatis sale condi-
ti: ut simul & semel dicam, sunt honestatis, pietatis & pro-
bitatis nitelâ radiantissimi. Quid queso in theatrum affe-
 ram de viris Celeberrimis, Clarissimis, Excellentissimis, qui
 in hac urbe vixerunt & adhuc vivunt, à quibus maximam
 suae laudis portionem hac urbs consecuta est? Scribta eorum,
 quae passim terrarum nota sunt
 & — convexa polus dum sidera pascet,
 victura erunt, sicco pede prateribo.

Si autem Theologicam facultatem acutius & accuratius
 paulò introspectio, obversantur oculis fidelissimi Pastores, qui
religionis puritatē à sterili corruptatum lolio illibatam con-
servarunt. Non desunt & nostrâ tempestate ejusdem monetae
 viri, qui acerrimo zelo inflammati, sanam religionem con-
 tra adversantium latratus, boatus, mugitus & grunntus
tueantur. Nihil equidem mavellem, quàm ut hic aliquorum
 meminisse liceret, sed quoniam Phœbi sonipedes, nullis fre-
nis remorantibus, celeri cursu ad occasum tendunt, & tan-
torum virorum laudes dignè recitare suprâ soccum meum,
ingeniig; horizontem est: ne, latius effusis verborum habe-
nis, aures vestras tædii & fastidii marculo verberem, me (ut
& superius promisi) intra laconismi seu brevitatis clathros
continebo. Si Juridicam, Medicam & Philosophicam fa-
 cultates contemplor, invenio viros Excellentissimos, Clarif-
 simos,

O R A T I O D E

simos, & in publicâ suarum lectionum pellectione assiduis-
simos, quorum corda pietatis, candoris, nude veritatis, &
reliquarum virtutum sunt nidamenta, receptacula, habita-
cula.

Quis, nisi dignus,

Plumbea qui potet purgantes pectora succos,

Et quicquid totâ nascitur Anticyra,

hoc auribus patulis arrepto, Jenæ, quæ omnium facultatum,
artium humaniorum, virtutis, morum & pietatis officina
est famigerabilis, è quâ tanquam ex equo Trojano cottidiè
prodeunt juvenes variarum rerum scientiâ excultissimi,
non patriæ duntaxat, sed & aliis exteris nationibus utilis-
simi: Quis (ut reiterem) Jenæ debitum laudationis quasi
thus derogaret? Quando aëris affectionem indagare alla-
boramus, cognoscimus, urbem hanc aëre frui clementi, ita,
ut pestiferæ mephites & putres exhalationes ipsam non cor-
rumpant, sed ut pestis vel alius morbus acutus rarenter hîc,
sicut alibi fieri consuevit, pedes figat, aut si quandoq; inci-
dat, absque gravi tamen infectione hinc inde leviter vage-
tur. Vnde etiam propter aëris commoditatem & clemen-
tiam Studiosi factò glomeramine in hanc Academiam con-
fluunt. Solo constat undiquaq; fertili, adeo, ut cum Poë-
tarum Sole & Sale haud ineptè cantillare possimus:

Huc pater ô Lenæ, (tuis hîc omnia plena

Muneribus, tibi pampineo gravidus autumno

Floret ager: spumat plenis vindemia labris)

Huc, pater ô Lenæ veni: nudataq; musto

Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Quanta autem quamq; nobilis hujus muneris vini nimirum
vis

*vis & utilitas sit, perspicuè indigitat Ovvenius Poeta Ang-
glicus sic modulans:*

Angusto tristem pellens ex corde dolorem

Tu cor latificas latificando meum.

*Quinimò convenienter & absq; veritatis transgressione de
Jenâ subsecuturos consarcinavi versus:*

Nunc æstate novâ Salicos per spicea rura,

Exercet sub sole labor; cum farris adultos

Abscindunt culmos; aut cum cerealia dona

Stipant, & densâ distendunt mergite cellas.

*Qui fructus quàm sit fructuosus & proficiuus, designare
valeo, si Taubmanni columbis aliquot plumulas evello; Ad-
orem enim super arcam tritum & saxi molaribus perdomi-
tum capit artocopus, &*

Gratum fingit opus, fermentaq; depita palmis

Diducit, partesq; facit, formatq; placentas,

Non unis, sed mille modis, sed mille figuris.

Si numerem, numeros transcendet copia nostros.

Nec mihi tot corbes, quare non metior illas.

*Fœcundum itidem hoc soli ingenium loci parit amœnitatem
ineffabilem. Si enim hortos respicio, sunt ii fragrantissimi.*

*Si prata: sunt ea suavissima. Si campos: sunt ii patentissi-
mi. Si colles uviferos: sunt ii frequentissimi. Si sylvestria*

*umbracula: sunt ea extra urbem exoptatissima in vireto Pa-
radisiaco excrescentia: Ad que jam temporis, quo*

— fors obsita pennis

Vibrissat crispo gutture dulce melos.

exspaciari sepiissime solemus.

*Et, licet ex intuitu Jenæ nulla omninò se nobis insinua-
ret oblectatio, egerminaret tamen non leve oculorum pabu-
lum*

O R A T I O D E

lum ex aspectu diversorum lusuum, quos Illustrissima, Generosissima & Nobilissima Juventus in castris Musarum hic militans interdum animorum recreandorum ergo exercet. Nullatenus etiam possum facere, quin de letâ Illustrissimorum duorum Principū Dn. fratrum, meorum Dnn. clementissimorum navigatione aliquot versus rudi Minervâ compositos hic subnectam:

Cum nuper facerem propè Salica littora gressus,
 Quid globus iste virum sibi vellet, pectore versans:
 Ecce fenestrato capiti obvia cymba fluebat
 Quattuor ex aliis innexa, & frondis amictu
 Vestita: Asseribus tabulata gerebat onustam,
 Panduris, cytharis, testudinibusq; trapezam.
 In prorâ & puppi stans piscatorius ordo
 (Centoculum Argum oculis aliâs superantialina
 Qui trahit, & pisces fallaci decipit hamo.)
 Interulâ enudata toros sua brachia gnavus
 In numerum tollebat, & orbâ cortice lymfam
 Arbore percutiebat (ô acceptabile visu!)
 Mox flectebatur gyratâ ambage carina:
 Mox cernebatur prono decuplex fluxu
 Jam stringebantur pandura & filâ picatis
 Crinibus, & digitis testudo attacta sonabat
 Mellitè: suavi cantabat voce Melodes
 Auribus instaurans sua fercla. *Ducum ille bicorpor*
Interea nodus fratrum cum gente ministrâ
 Eradians, stloppos fumoso sulphuris igni
 Atq; papyraceis deprædabatur ofellis
 Ore humectatis, multo implicitisq; volutu.

*Uterius non parùm delectamenti resultat è lusu cujusdam
 pile Ballon dictæ & Βάλλων dictæ & in hunc modum descri-
 ptæ:*

Ligno docta manus vacuo intrâ & pluribus extra
 Dentibus armato dextras onerare laborant

LAUDIBUS JENAE.

689

Expulsiq; docent volitare per aëra fursum
 Folliculi crebris animatum flatibus orbem.
Si inquirimus in hujus urbis politiam: est illa temperatissi-
ma. Nam summâ animorum dejectione agnoscunt. incolæ
 summum magistratum cum subdelegatis suis, & juxta hos
 ordinem senatorium ac Consules, qui controversias legibus
 æquissimis justè dirimunt, bonorum & innocentum defen-
 sandorum curam suscipiunt, de illis, qui instar porcorum,
(honor sit auribus) se in foetido & putido vitii flagitii
scelerisq; sterquilinio circumvolutant, gravissimas &
 severissimas sumunt pœnas, adeò, ut ipsis maxima pœna-
 lia non prostent auro venalia. Jam quidem amplissimus et-
 iam sermocinandi se exfereret campus: Sed quia nimis ope-
 rosum & odiosum foret singula ordine & speciatim emedul-
 lare ac enumerare: considerandum, perpendendum & ru-
 minandum propono propinog; unicum hoc instar omnium
 infallibile benè constitutæ Reipublicæ τειρησιον ab inferiori-
 bus petitum:

Vir quoque, cui pictor mirabilis ille senecta
 Albidulum barbæq; comis capitisq; colorem
 Leniter insperfit, Jenâ reperitur in urbe.
 Omnia par patri faciemq; habitumq; Lyæo.
 Illius baculum fert dextra: sinistra corollam
 Frondibus intexam: Crebris ille ante diebus
 Quam cœli medium scandat Sol aureus axem,
 Sive fori pedibus premit æquor, sive plateas
 Permeat, & talem modulans quatit illa cantum:
 Vitigenum quicumq; cupit libare liquorem,
 In jam prædicti, civis se conferat ades.

Hæc cum ita & non secus se se habeant, certò citraq; omnem
dubii scrupulum mihi persuadeo, esse videlicet illos, qui urbem
Jenam laudis præconio defraudare erubescunt,

ORATIO DE

Verecun in patriâ crassoq; sub aëre natos.

Interim conjunctis labris ad DEUM (de quo solo solum dici potest: πάντα καλῶς ἐποίησε) clamemus, insonemus, intonemus.

Jure tibi, JESU dulcissime, fundimus imis

E fibris grates, Salici quod tecta Lycaei,

Quodq; tuo jussu Jenam manus ætheris urbem.

A quocunque malo defenderit atque periclo.

Possumus hic etenim benè cum Francoide cygno

Dicere: Nocturnas vix est numerare lucernas,

Et quas sæpè manus stolidi temeraria tractat,

Ebrietasq; sui non compos, & angulus arctæ

Et resina domus cuivis obnoxia flammæ.

Fama tamen veri que fides absolvit alumnos

Hactenus Aonios incensi crimine tecti.

Scilicet Angelicis propria hæc est cura ministris:

Ni fuerit, cineres essemus, ad instar eorum,

Queis regio propè tota rogos. DEUS optime, cætus

Porrò tui miserere, tui sumus omnis ad unum

Sanguinis, inque tuo reperimus sanguine vitam.

Præterea flexo tua Numina poplite cuncti

Poscimus, hîc quotquot sumus, ut cohibere labores,

Deucalioneos ne fundat Aquarius imbres,

Nec Salam sinuet tumefactus ab Alpe Variscâ

Nobile nec Cereris donum suffocet & alma,

E pratis alimenta bouum dominumq; gregemq;

Ne ferat in præcep, nec putri lædat abusu.

Æolidæ fratres turba ista phrenetica tanto

Agmine ventorum aërei perinania campi

Prælia ne pugnent, queis totus inhorreat æther.

Ne perterricrepto tremefiat corpore tellus,

Nec concussa graves ciat intrâ viscera motus,

Et quoniam passim gliscunt incendia belli

Pastra diu, saturata parùm, saturanda nec ullis

For-

Fortè cadaveribus, nec restinguenda fluente
 Sanguinis ad Scythicum Christiani militis Istrum,
 Quæsumus angelicæ studio pollente catervæ
 Ut procul à nostri defendas finibus agri
 Annonæ pariter, belliq; luisq; flagellum.

D I X I.




Præstantiss. atque Literatissimo
 Dn. SALTZMANNNO.

Αἰθαλὲς ΣΑΛΖΜΑΝΝΕ κλέϞ, κῦδος τε μέγιστον
 Νυμφῶν Κασαλίδων Παρνασσίου αἵπϞ ἐχαστῶν
 Ὅτ' ἐν Σαλαΐδων κλειτὸν πολίεθρον ἸΗΝΗΝ
 Θεῖον ἔδϞ τῶν Αἰνίδων, ἀγορὴν τε ἀγαυήν
 Οὐρανίᾳ διδαχῆς, καὶ τερπνὸν ἔδεθλον ἑραυνῆς
 Εὐσεβείης, τεπέδον δίκης, καὶ ἄστυ θημίστων.
 Καὶ πολυκλήϊστων αὐλὴν περικαλλέα ἀνδρῶν
 Ἐν παπύροισι Ϟοφοῖσι παλάμης ὀλκοῖσι χαράσσεις.
 Εὐκελάδης Ἰ αὐτῆς αἴνης θελξίφρονι Πειθοῖ
 Μέλπεις ἐξ καθέδρης ἔημετέροιο Λυκείης
 Πάντες ἔφαν σε καλὸν, πολέος τε ἐπάξιον αἴνης
 Ἔργον δὴ Ἰπιχειρέμεναι. Διὸ Πιερίδες τοι
 Συγχαίρουσι κόραι, ἅμα τε κροτέουσι πόνημα,
 Σεῖο καλὸν, καὶ τοι ἀγλαὸν δώρουσι βραβεῖον.

ἐγκόνως ἐποίησε

M. Johan. Eschenburgius Lüb.
SS. Theol. Studiosus.



Summ.



4c. 91
S *uum* cui libet est *caput*, cuiq;
Velut *pileolum*: Probat Catullus,
Carpit Hermogenes, nec una cunctis
Res æquè placet. Ergò, si *periculum*
Tuum fortè Theon furoris atro
Marculo feriet, (tibi tueri
Jctus haut poteris; quod omne nostri
Verticis geminæ faces, *ocelli*
Prævidere videntur: *His* olebit
Halandri Criticum Suada thyrsum:
Illis altiloquentiam Poëtæ
Spirabit nimiam: sed oricillam
Offer, ne malus aucupetur auceps)
Non te robore munias *Gigantis*
Thebani, neque lanceâ *nepotis*
Cadmi fraxineâ! sed in ferendis
Momi verberibus *quieta* præstat
Mens: Utin lapidem, canes petiti:
Amphi-sic-politanus ille Homero-
mastix, Zoilus in *tuum periculum*.

Φιλίας χάριν pang.

Christianus Sigefridus Cizensis.

AD OSCUM

salvi nominis hirudinem.

P Er meta-quando-thesin furibundus diceris **OCSUS**,
Aptius, **OSCE**, tibi nomen inesse puto.
Bos ferit innocuos interdum, sic, ut ab isto
Vulnere sanguinei purpura roris eat;
Tu lingue jactas frameam, dat si quid in auras
Gens, declamandi quam Caloëthes habet.
Te velut ô taurum lanii manus utraq; ferro
Ad caput elato tundat ad usq; necem!

V. 17. 11. 5.

Ponyc 91,4°

ULB Halle

3

003 648 192





Q. N. 12675.



OR

De Jes
Viris, ce
fe

ea tem

NIVERSITÄT & BIBLIOTHEK
HAMBURG
(SAMB.)
Qui

Yc
91

mis
Chry-

ur)

BIBLIOTHECA
HAMBURG



Inches

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue